

SACRA ROMANA ROTA

Coram R. P. D. OVIDIO BEJÁN, Ponente

MONASTERIEN

Nullitatis Matrimonii

SENTENTIA DEFINITIVA

IN NOMINE DOMINI. AMEN

.....

FACTISPECIES

1. Titius, actor in causa, natus die 10 octobris 1923, Saturnalibus anni 1946 in choreis quibusdam cognovit Caiam, conventam, die 3 aprilis 1925 natam. Inchoata amicali conversatione, brevi post iuvenes illicitis relationibus indulserunt.

Quodam die, cum puella se uterum derere adverterit, de re certiorum fecit Titium; vir, cognita praegnantia, consilium iniit cum Caia de contrahendo matrimonio, quod tamen, uti contenditur, conditioni de prole ex se suscepta, subordinabat.

Parentes Titii inde ab initio, matrimonium filii cum Caia adversati sunt; cum tamen in notitiam venerint sceleris a iuvenibus patrati, illud per matrimonium reparandum etsi aegre, tulerunt.

Imminentibus nuptiis, cum dubium exortum fuerit in mente patris actoris de nascituri paternitate ope filii, iussu ipsius medicalis inspectio conventae peracta est; sed res absque exitu mansit, ob deceptionem, fraude obtentam ex parte Caiae.

Matrimonium rite celebratum est die 26 iunii 1946, in ecclesia parociali loci v. d. H., dioec. Monasteriensis.

Vita communis pacifice instaurata est; elapsis duobus mensibus Caia filium peperit: talis praematurus partus causa exstitit abruptio- nis vitae coniugalis; instante enim patre, Titius uxorem definitive deseruit et a civili auctoritate s. d. divortium obtinuit die 15 ianuarii 1947.

2. Per libellum litis introductorium diei 22 iulii 1947 Titius causam nullitatis sui matrimonii inchoavit penes Tribunal Monasteriense,

ob conditionem a se appositam et non verificatam, scl. ut proles nascitura ex se concepta esset. Sententia tamen diei 11 maii 1949 votis actoris contraria fuit.

Appellatione interposita ad Tribunal Coloniense, sententia diei 22 octobris 1951, prior reformata fuit.

Causa, ob appellationem ex officio a defensore vinculi interpositam, ad N. S. O. delata est et hodie Nobis respondendum venit dubio, sub sueta formula concordato: "An constet de matrimonii nullitate, in casu".

IN IURE

3. Matrimonium solo consensu nupturientium, iure habilium, perficitur; qui consensus actu voluntatis constituitur, nullaque humana potestate suppleri valet (can. 1081, par. 1). Quocumque ideo modo talis consensus limitatur in suo esse, destruitur ipsa causa efficiens contractus matrimonialis.

Inter modos quibus limitatur vel suspenditur valor consensus, adnumeratur et conditio.

Haec solet definiri circumstantia alicui actui adiecta, ex qua ipsa actus pendet. Conditio proprie dicta non habetur nisi circumstantia ex qua actus pendet sit eventus futurus et incertus; si praesens sit aut praeteritus, actus non suspenditur sed statim ac ponitur valet aut non valet prout eventus aut circumstantia adest aut non.

Quando, uti in casu, aliqua determinata qualitas in comparte consideratur et contenditur hanc sub forma verae conditionis sine qua non fuisse appositam, scite cavendum est ne sub conceptu iuridicae conditionis intelligantur etiam error circa qualitatem, vel illa conditio quam vocant interpretativam, vel praerequisitum aliquod ad concludendum matrimonium. Error enim circa qualitatem aliquam personae, excepto casu de quo in can. 1083, par. 2 1,2, non reddit invalidum matrimonium etsi det causam contractui. Voluntas autem interpretativa non est voluntas sed potius animi dispositio (cfr. D'Annibale: Summ., I, 135), quam certe superat voluntas contrahendi. Vulgaris ratio intelligendi praerequisitum ad concludendum matrimonium ut conditionem, longe prorsus est a vero conceptu conditionis a qua pendet ipsa existentia consensus. Tali enim in casu hypothesis non fingitur de ipso consensu dando vel non dando, sed de aliquo alio consensum antecedente (c. Mannucci, S. R. R. Dec., vol. XVIII 1926, dec. XLI, n.º 3, p. 327).

Praesuppositum, ut recte scribit Windscheid, 'è una condizione non isvolta (unentwickelte), una limitazione di volontà, che non si è svolta fino ad essere una condizione. Chi manifesta un volere sotto una presupposizione, vuole, al par di colui che emette una volontà

condizionata, che l'effetto giuridico voluto abbia ad esistere soltanto dato un certo stato di rapporti, a egli non giunge a far dipendere l'esistenza dell'efetto da questo stato di rapporti. La conseguenza di ciò è che l'effetto giuridico voluto sussiste e perdura, sebbene venga meno la presupposizione" (Il diritto delle Pandette, trad. Fadda e Bensa Torino, 1930, I, p. 332 ss.).

4. *Talis distinctio inter conditionem quae afficit contrahentis voluntatem ex qua pendet validitas contractus et conditionem quae tangit tantummodo propositum contrahendi, constanter revocatur et urgetur in iurisprudencia N. S. F. Propositum enim contrahendi cum tantum promissionem consensus matrimonialis afficiat, essentiam contractus non ingreditur et ideo non secumfert conditionem a qua pendet valor consensus; agitur enim de actu qui extraneus prorsus est ab attingendo consensum, qui nondum ortum habuit (cfr. Sent. d. 24 oct. 1936, c. Heard, v. XXVIII, pp. 636-637; c. Canestri, d. 16 dec. 1950).*

Conditio iuridica e contra, tunc tantum habetur quando positivo actu voluntatis quis ita consensum allgat existentiae exquisitae circumstantiae vel qualitatis in comparte, ut ea deficiente consensum nullius valoris esse velit. *Talis actus voluntatis potest non modo explicite, sed etiam implicite vel tacite haberi, nam "eadem est vis taciti et expressi" (D'Annibale, Summ. I, n.º 41, nota 25); in his ultimis duobus casibus vero nemo non videt quam difficile sit illum positivum actum voluntatis probare, adeo ut non paucae sententiae explicitum actum exigere videantur (cfr. c. Heard, d. 27 aprilis 1946, v. XXXVIII, p. 259; c. Canestri, d. 17 maii 1946, vol. cit. p. 309).*

5. *Quaeri potest et debet utrum conditio alligata proposito contrahendi virtualiter perseveret usque ad consenus manifestationem: aliis verbis, si quis, etsi non elicuerit ipsum consensum, manifestavit tamen conditionem sine qua non voluit contrahere, praesumendum ne est tali in agente hanc conditionem, semel positam, virtualiter perseverare usque ad consensus praestationem, ideoque alligatam fuisse ipsi consensui? Responsio negativa danda est; legitur in una c. Wynen: "Qui ipsam substantiam seu ipsum consensum nondum posuit, huic rei non existenti nequit adiicere circumstantiam a qua valor ipsius actus pendeat. Aliter utique esset iudicandum si post inquisitionem institutam et praecipue post promissionem matrimonii datam, nupturiens, ob quamdam incertitudinem vel dubitationem quae in eius mente mansit, sibi proponeret aliisque manifestaret: contraham, dummodo altera pars illa qualitate, sub formula sine qua non postulata, reapse praedita sit" (Sent. d. 20 martii 1940, v. XXXII. p. 228).*

Quae omnia supponunt in agente novum actum voluntatis, quo positive constet praerequisitam qualitatem non tantum proposito con-

trahendi, sed existentiae ipsius consensus alligatam fuisse. Ad rem, legitur in una Matriten., c. Exc.mo Jullien, (d. 30 ianuarii 1957): "Quocirca, qualitas, quae antea contractui locum dederat, potest transire in veram conditionem a qua contrahendum matrimonium pendet, quoties novus ponatur actus voluntatis, quo contrahens potius illam qualitatem, quam ipsum matrimonium, positive vult".

6.—Hisce principiis expositis, tenuerunt Patres DD. admitti non posse ea quae leguntur in appellata sententia: "Propositum nubendi conditionatum implicite continet consensum conditionatum... Concensus absolutus impossibilis est, si propositum nubendi conditionatum est, nisi conditio apposita revocata est" (S. p. 68).

Fatendum est haud deesse casus in quibus Iudex maximam difficultatem experitur in constabiliendo facto positivae appositionis conditionis; videre enim debet an contrahens qui affirmat se conditionem suo consensui apposuisse, hanc revera apposuerit et qua ratione posuerit; vel potius quid aliud dixerit aut fecerit quod confundi possit cum verae conditionis appositione.

Iure non requiritur certa ac determinata formula ad conditionem apponendam; tamen ad diiudicandam eius vim, constare oportet de forma qua expressa est; sed hoc satis non est, nam probatio tam gravis rei non ex quibusdam verbis desumi debet, sed ex integris sermonibus, ex tota serie factorum: facta enim verbis validiora sunt.

Ipsa dein verba de conditione a contrahente apposita caute accipienda sunt, nam ut legitur in una c. Wynen (vol. XXVI - 1934, p. 650): "Coniux... qui, si cognovisset ante nuptias veritatem (seu non adesse in comparte qualitatem a se desideratam) numquam matrimonium cum ea contracturus fuisset, facile et bona fide sibimetipsi persuadet se matrimonium iniisse tantum sub conditione ut altera pars revera desiderata qualitate praedita fuerit. Idem valet de testibus, qui causam actoris adiuvare intendunt".

7.—Ad dignoscendum utrum aliquo in casu agatur de conditionato consensu, Rotalis Iurisprudentia prae oculis habet aliqua elementa naturae psychologicae.

"In primis est considerandum dubium, quo motus coniux conditionem apposuerit: non quod sine dubio conditio haberi nequeat, sed quia, re psychologicè spectata, nemo ad conditionem apponendam ducitur nisi dubio aliquo angatur vel obiectivo, vel saltem subiectivo, licet pathologico... Quo maior est amor inter nupturientes, eo gravius dubium exigitur: nam leve dubium per amoris ardorem facile diluitur" (Sent. d. 17 ianuarii 1956 c. Felici).

Duo praeterea criteria peculiariter utilia sunt: "Quorum primum quanto aestimaverit contrahens obiectum assertae conditionis. Nam quo pluris id aestimaverit, eo facilius concedi potest contrahentem de exis-

tentia illius obiecti formasse veram conditionem. Alterum criterium consistit in ratione agendi ex parte asserti conditionate contrahentis ut primum is cognovit obiectum praetensae conditionis deficere seu conditionem tempore nuptiarum non fuisse adimpletam. Nam quo celerius ille abruptit vitam coniugalem, eo efficacius ostendit se non nisi conditionatum consensum praestitisse..." (Sent. d. 5 ianuarii 1950 c. Wy-nen). Adnotare tamen praestat circumstantiam improvisae vitae communis abruptiois, non esse univocam, quia non solet verificari tantummodo in casu consensus conditionati, sed etiam v. g. in matrimonio per errorem super qualitate inito, praesertim si talis error dolo vel fraude alterius partis inductus fuerit (cfr. Sent. d. 2 dec. 1927, vol. XIX p. 478; Sent. d. 18 martii 1950, c. Mattioli).

Quocumque modo res se habeant, cum appositio conditionis cui consensus alligetur res sit insolita valde, ea in foro externo non evincitur nisi argumentis vere concludentibus; in singulis huiusmodi causis iudicandis sequens opportunum monitum prae oculis habendum est: "Postquam nuptiae infelicem exitum habuerunt. sponsi facile sibi faciunt fucum atque confundentes errorem de qualitate accidentali et spem delusam cum vera conditione sub praetextu nullitatis quaerunt excussionem legitimi oneris" (Wernz-Vidal: *Ius Matrim.*, n. 470).

IN FACTO.

8.—In supplici libello Titius actionem nullitatis sui matrimonii cum Caia sic perstringit: "Ei dixi me eam ducturum non esse nisi ea conditione ut proles expectanda ex me concepta esset; si ex alio viro concepta esset, de matrimonio verbum esse non posse" (p. 1-2).

Tria en casu quaeruntur: A) An revera Titius ea coram Caia dixerit; et quatenus affirmative: B) An Henricus iuxta interpretationem suam consensum conditionatum praestiterit; et quatenus affirmative: C) An tempore celebrati matrimonii, Caia praegnans ex Titio fuerit.

9.—A) Actor, praeterquam in supplici libello, etiam in iurata sua depositione affirmat de matrimonio contrahendo primum sermonem factum fuisse cum sponsa ipsi dixisset se gravidam esse. Deponit enim: "Quindecim fere diebus post Saturnalia prima vice cum sponsa coitum feci. Ego coitum petivi, illa statim consensit... Iterum commercium factum est mense martio; quindecim diebus post commercium secundum, sponsa mihi dixit se in expectatione prolis ex me esse... Ego sponsae graviditatem mihi annuntianti respondi ac verbotenus: "Si infans ex me conceptus est, te in matrimonium ducam". Semper cogitaveram ne proles mea sine patre per vitam transiret. Tum discessimus consilii matrimonii inter nos contrahendi" (6-7/5, 7).

Conventa, e contra, plene contradicit assertis actoris; prae pri-

mis contendit se nonnisi mense iunio 1946 actorem certiore reddidisse de sua praegnantia; vir —uti mulier fatetur— “neque miratus est neque demissus erat, sed statim dixit: si ita est, nimirum matrimonium contrahemus”. Conditionis appositionem conventa penitus excludit: “Coram me numquam verba protulit in hunc sensum: Nisi infans ex me est, te non ducam” (32/7; 33/10).

10.—Testes qui iuxta actorem rem ab ipso sciverunt ante nuptias, duo indicantur, W. et B.

W., in prima sua depositione nil positivi ad rem affirmat; de asserta conditione mulieri expressa ne verbum quidem; immo, contrarium potius ex quibusdam testis declarationibus eruitur, nempe Titium adeo suasum fuisse de nascituri paternitate quam suam retinebat, ut obstrictum se vidisset ad mulierem ducendam. Deponit enim testis: “Ut Titius mihi dixit, iam octo diebus post (commercium carnale) ei declaravit se gravidam esse... Ex nuntio eius elucebat, cum res ita essent, se sibi obstrictum videri ad eam ducendam; neque enim iustum esse alimenta solvere et infantem ita deserere. Sed eam ducere debere quippe qui ambo catholici essent” (21/7); et subiungit: “Ex dictis eius semper conclusi tantum eum ad matrimonium sibi obstrictum videri... puto eum sibi firme persuasisse se patrem infantis esse. Enuntiatum “Infans ex me est, ergo matrimonium fiet”, non a sensu eius alienum fuisse mihi videtur. Ultra nihil dicere de ea re possum” (21/9, 10). Quibus ex verbis, ut facile apparet, manifestatio conditionatae volutantis contrahendi ex parte actoris tum conventae, tum testi, minime confirmatur. immo, potius excluditur.

Depositio B. suspectam reddit rationem agendi actoris: sequentia enim affirmat: “(actor) mihi suggessit ut sub iuramento enuntiarem se mihi dixisse se Caiam ducturum non esse nisi infans ex se esset” (23/2); testis actori respondit id fieri potuisse, sed ob temporis lapsum, rem iureiurando affirmare non posse. De facto, B. nil valet referre circa assertam appositam conditionem.

Actor, in actu appellationis adversus negativam sententiam primi gradus, explicare satagit silentium testis W. quoad conditionis appositionem; scribit enim: “quomodo vero testis hoc (nempe verba conditionem exprimentia) proferre poterat, cum ei certae quaestiones proponerentur” (49)? Id tamen veritati non respondet: quaestio enim septima testibus proposita, responsionem exigebat specificam quoad rem de qua agitur (cfr. p. 11).

Verum quidem est, testem W., in altera sua depositione, quaesitui omnino suggestivo sibi proposito respondisse: “Quid patri (actoris) nuntians graviditatem accurate dixerim, nescio... (actor) declaravit Caiam non ducere, si infans vere ex se esset, rectum non esse” et statim subiungere: “Ad enuntiatum patris Titii: “W... mihi ante nuptias declaravit filium meum sibi dixisse Caiam gravidam esse, neque vero

eam in matrimonium ducturum esse, nisi infans ex se esset", declaro: Hoc ita est: Titius mihi ita dixit: "Nisi infans ex me est, Caiam non ducam", atque hoc dictum... porro patri tradidi" (37/3).

Perspecta hac altera depositione testis W. sequentia Patres DD. adnotanda duxerut: cum aperte contradicat praecedenter assertis testis, cumque agatur de declarationibus prolatis paucis mensibus post susceptam primam depositionem, suspicio collusionis et subornationis ex parte actoris, legitime conicienda est: aliter enim explicari nequit tam incongruens ratio deponendi testis. Ista deductio magis confirmatur sive ei altera depositio testis W. in se ipsa examinetur; ex una parte testis affirmat se nescire quid patri actoris dixerit; ex alia vero confirmat actorem sibi dixisse: "Nisi infans ex me est, Caiam non ducam", atque talia verba patri actoris tradidisse. Sed ex contextu de positionis clare apparet postremam affirmationem haud fuisse sponte a teste prolatam: nonnisi enim postquam testi, verba patri actoris tribuuntur, revocata sunt, hic confirmare veluit manifestationem voluntatis actoris, illa sub forma conditionata. Quod responsio suggesta fuerit testi, evidentius eruitur si consideretur eundem paulo antea in eadem responsione confirmare quae antea dixerat, nempe actorem suasum fuisse de obligatione sibi copulandi conventam; verba enim" (actor) declaravit Caiam non ducere, si infans vere ex se esset, rectum non esse", aliter interpretari nequeunt.

11).—Vis probandi, iam in se suspecta, depositionum testis W. magis adhuc infirmatur si declarationes perpendantur patris actoris; iste enim in prima depositione quaedam reposuit quae congruere minime apparent cum assertis sive actoris, sive testis W. Iuxta actorem, pater suus notitiam de praegnantia conventae recepit a teste W.; hic autem, ut supra visum est, de re prorsus siluit in prima depositione et nonnisi in altera excussione circumstantiam confirmare ausus est, modo iam descripto.

E patris actoris autem prima depositione, clare omnino eruitur eundem, si notitias aliquas habuit sive de primo carnali commercio filii cum conventa, sive de praegnantia puellae, de his nonnisi occasione civilis precessus pro obtinendo s. d. divortio, edoctum fuisse (13/5, 7).

Pater declarat se scire sponsam "octo vel quindecim diebus post commercium sexuale filio meo declarasse "se ex eo gravidam esse"; ignorat tamen quid filius sponsae dixerit; silet insuper de colloquio habito, hac de re, cum teste W.

In altera depositione, pater actoris rem diversimode prorsus exposuit; hac vice contendit se ab W. sex circiter hebdomadibus ante nuptias, certiore factum fuisse de puellae graviditate (28/12); illa occasione, iuxta eiusdem patris actoris depositionem "W... mihi declara-

vit... filium meum sibi dixisse Caiam gravidam esse, neque vero eam in matrimonium ducturum esse, nisi infans ex se esset" (29/8).

Patens, ut apparet, deprehenditur contradictio cum praecedenter assertis; superius adnotata circa vim et valorem depositionum testis W., omnibus perpensis merito applicari possunt etiam depositionibus patris actoris.

Iudicio Patrum DD., graves mutationes et contradictiones quae deprehenduntur in depositionibus testium principaliorum circa rem in casu, potissime demonstrandam, valde obstant certitudini morali quae in animo Iudicis requiritur, ad normam can. 1869, par. 1.

Manifestatio conditionatae voluntatis contrahendi ex parte actoris sive conventae, sive aliis expressae, praecisione quoque facta a praescripto can. 1791, qui cavet de efficacia probationis pre unum testem directum, in casu, ex allatis argumentis, certe probata dici nequit; consequenter ipsum fundamentum causae, a limine in dubium vocandum est.

12).—B) Dato, sed ex iam deductis non concessio, quod actor reap-se coram Caia, asserta verba conditionem exprimentia dixerit, quaerendum manerat num asserta conditio positive alligata fuerit existentiae ipsius consensus.

Ad rem omni ex parte obiective dirimendam, iudicium ferre duxerunt Patres DD. de hac quoque quaestione.

Omnibus causae actis rite cribratis, censuerunt Patres DD. de appositione conditionis verae, limitantis concensum, non constare. Praeprimis, verba "si infans ex me conceptus est, te in matrimonium ducam" ambiguitate non carent. Significare enim possunt: si utrum ex me geris consensum do, si non geris, consensum nego.

At verba eadem aliud quoque significare possunt, scilicet: si utrum geris, uti asseris, matrimonium contraham; atqui credo te opera mea gravidam esse, ideo accipio matrimonium, quod secus tecum non contraherem.

Quid revera sub concisa illa dicendi brevitate significaverit Titius id desumatur oportet non solummodo ex verbis istis, sed ex cunctis circumstantiis, quae declarare valeant voluntatem proferentis.

Ut in "iure" adnotatum est, conditionis appositio est revelatio dubii; in casu, actor nullo dubio laboravit, neque subiectivo, neque obiectivo: quaenam enim fuerit mens actoris, ex actis causae, obsque difficultate erui potest.

Constat in primis actorem, statim ac eidem praegnantia nuntiata fuit a muliere, huic credidisse. Asserit quidem Titium se mulieri, praegnantiam nuntianti, dixisse illa verba conditionem exprimentia; sed res non intelligitur: iuvenes ad invicem sese amabant; actor admittit pluries rem carnalem cum Caia, ante nuptias habuisse; nullam profert rationem dubitandi de sua paternitate.

Hisce circumstantiis attendis, actoris verba —si et quatenus adiitantur—, intelligi nequeunt nisi de praerequisito aliquo ad contrahendum; ex ipsiusmet enim Titii depositione eruitur assertam conditionem mulieri propositam fuisse antequam iuvenes consilium inierint de matrimonio contrahendo (S. p. 7/7). Post nuntiatam sibi graviditatem, actor, neque statim, neque postea, sollicitus fuit de investiganda veritate tan gravis circumstantiae. Contrahere voluit qui suasus fuit de sua paternitate.

13).—Hac de re, depositiones testium sat explicitae sunt.

Sorores actoris, quae, per transennam notetur, excludunt Titium umquam dubium aliquod fovisse de sua paternitate, ignorant prorsus cuiuscumque conditionis appositionem (17/8; 17/10; 19/2; 19/10). M., noverca actoris, fidem facit se, una cum marito (patre actoris), initio magnopere aversasse matrimonium Titii; postea, uti ipsa fatetur, “cum accepissemus eum (Titium) deliquisse, matrimonio instabamus” (15/4).

De asserta apposita aliqua conditione a Titio, noverca ne verbum quidem facit; si de tali conditione reapse actum fuisset, vix praesumi potest testem, saltem a suo viro, nullam notitiam recepisse. Iuxta novercam, Titius “omnino amore puellae devinctus erat neque easdem dubitationes ac nos de paternitate habebat” (35/5).

Pater quoque actoris affirmat: “coram me dubitationes non protulit... num de asserta paternitate dubitaverit, omnino ignoro” (13-14/8, 10).

Ipsemet testis W., in prima depositione explicitè declaravit actorem secum numquam de dubitationibus locutum fuisse (21/8); immo putat Titium “sibi firme persuasisse se patrem infantis esse” (21/10); testis autem, ex dictis actoris semper conclusit “tantum eum ad matrimonium sibi obstrictum videri” (21/9).

14).—Quid novi accidit imminentibus nuptiis: quaedam mulier, G. J., parentibus actoris rumores retulit circa praegnantiam conventae, quae multo longius progressa fuisset ut actor pater infantis esset.

Dubio sic exorto in mente patris actoris, ab eodem imposita fuit medicalis inspectio conventae, eo fine ut determinaretur terminus a quo praegnantiae Caiiae.

Circumstantia gravitate non caret; si illa occasione actor conditionem apposuisset, res valde deponent in favorem sui assumptus.

Actor oboedivit quidem iussui patris, postulantis inspectionem conventae, sed, ex actis causae, nullimode ruitur Titium cogitasse de conditione aliqua apponenda, vel saltem de confirmanda iam apposita. Id prae primis, ab ipso actore implicite excluditur, cum ipse declarare tantum valeat se, testibus W. et B., mentem suam manifestasse tantummodo *ante* inspectionem conventae, ideo quando, uti supra oscen-

sum est, nulla ratio aderat alligandi alicui conditioni valorem ipsius consensus.

E depositione autem novercae actoris, testis minime suspectae, eruitur Titium, occasione inspectionis medicalis conventae, anxium potius fuisse don quidem de conditione apponenda, sed de confirmanda sua certitudine, se nempe patrem infantis esse: "Filius (i. s. Titius) valde laetus cum altero ab inspectione die, testimominum proponeret, dixit: Nunc ergo videtis verum esse infantem ex me esse"; immo, testis, ad-dere non omisit: "... usque ad partum infantis filio omnio in mentem non venisse fieri posse ut pater infantis non esset" (36/7, 8). Verba gravissima, quae, si ex una parte clare pandunt animi dispositionem actoris in contrahendo, ex alia vero excludunt ipsam possibilitatem appositionis conditionis.

Deducendum ideo manet praegnantiam Caiae causam fuisse contrahendi; consensum autem absolute elicitum fuisse, absque ulla restrictione mentali vel limitatione. Ex actis causae, si et quatenus actoris affirmationes veritate neterentur, ad maximum erueretur asserta verba, improprie conditionem exprimentia, propositum tantum contrahendi praecessisse, quando igitur de consensu dando vel non dando, sermo nondum erat nec fieri poterat. Ex collectis enim probationibus non constat Titium, post iam elicitum propositum contrahendi, novo explicito actu voluntatis subordinare voluisse suum consensum assertae exquisitae qualitatis in muliere.

15).—Quaestio utrum Caia, tempore celebrati matrimonii, praeg-nans ex Titio fuerit, attentis superius deductis, iam non ponitur. Ex actis causae eruitur actorem deceptum fuisse a conventa; admirationem quam Titius manifestavit occasione praematuri partus, confirmat superius citata verba novercae actoris, atque implicite excludit appositionem conditionis.

Desertio tecti coniugalis ex parte actoris et quidem statim executioni mandata ac cognita fuit dolosa deceptio patrata ex parte conventae, argumentum constituere potuisset validum ad deducendam conditionem; sed uti "in iure" revocatum est. circumstantia improvisae vitae communis abruptiois univoca non est: in casu, iudicio Patrum DD., talis circumstantia verificata non est in matrimonio conditionato, sed in matrimonio ab actore inito ob errorem, dolo et fraude partis conventae inductum.

Consequenter, cum praesenti in causa, de appositione conditionis limitantis consensum non constet, superfluum duxerunt Patres DD. quamlibet ulteriorem disceptionem circa purificationem assertae conditionis instituire.

16. Quibus omnibus in iure et in facto perpensis, Nos infrascripti Auditores de Turno, pro Tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, Christi Nomine invocato, edicimus, declaramus et definiti-

ve sententiamus: Non constare de matrimonii nullitate, in casu, ad propositum dubium respondentes: Negative.

Ita pronunciamus, mandantes Ordinariis locorum et ministris tribunalium ad quos spectat, ut executioni mandent hanc nostram definitivam sententiam et adversus reluctantes procedant ad normam SS. Canonum, iis adhibitis executivis mediis, quae opportuniore et efficaciora pro rerum adiunctis existitura sint.

Romae, in Sede Trib. S. R. Rotae, die 4 novembris 1957.

CAROLUS LEFEBVRE

HENRICUS EWERS

OVIDIUS BEJAN, PONENS

EDMUNDUS ULINSKI, NOTARIUS